

## SACRA CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

S O R S O G O N E N S I S

D E C R E T U M

---

Romanorum Pontificum cura est, prout locorum temporumque adiuncta ac Christifidelium bonum id exigant, Sacrorum Antistitibus adiutores Episcopos assignare ut eis, quos ecclesiastica negotia premunt, congruentia ferant auxilia.

Cum Exc. mus P.D. Arnolphus Arcilla, Episcopus Sorsogonensis, attentis angustiis quibus premitur dioecesis, postulavisset ut Episcopus Auxiliaris sibi daretur, Summus Pontifex PAULUS, Divina Providentia PP. VI, eius preces benigne excipere statuit.

Quapropter de consilio infrascripti Cardinalis sacrae Congregationis pro Episcopis Praefecti, ad illud munus nominat Exc.mum P.D. Concordium Sarte, Episcopum titularem Thunusudensem, hactenus Auxiliarem Exc.mi P.D. Theopisti Alberto y Valderrama, Archiepiscopi Cacerensis, iuribus praeditum quae ad normam Concilii Oecumenici Vaticani II, per Apostolicas Litteras "Ecclesiae Sanctae" Motu Proprio die VI augusti 1966 expeditas ad executionem deductam, huic officio competunt.

Idem Summus Pontifex praesens edi jussit sacrae Congregationis pro Episcopis Decretum, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus sacrae Congregationis pro Episcopis, die 3 mensis octobris anno 1977.

SEBASTIANUS CARD. BAGGIO  
Pref.

ERNESTUS CIVARDI  
Secretarius